

CARMINA EX LIBRO „ET BARBARUS LATINE“

Piae matri

Mater mortua est, mater!
Quid dicere insuper possim,
cum mater mea mortua
ocellos vitreos habeat.
Cantus matutinus,
cantus vespertinus
nomine matris plenus,
Mater, mater mea,
cantus meus dolore plenus.
Quid scribas, dicit cor,
dic nomen eius,
dic mater, tantum mater!

Mare murmurat

Venti praenuntiant ver,
venti in comis pinorum.
Sedeo in loco aprico.
Aliquis in corde maesto
sementem desideriorum facit.
Attamen, in corde mare murmurat.

Vita in sole

Aves cantant,
cantum matutinum cum cantico solis.
Sensus omnes optant viam lucis.
Vitreus fio
et ingredior,
in quam viam nescio.

In septembri

In corde titubans
coloribus regionis
patriae meae,
plenus laetitia
in nitida maestitia
erro male ferens pedes.
Quid est, amici?
Poeta vino pulchritudinis madet.

Sol in herbis

Sol in herbis lucet,
in herbis teneris.
Ocelli tui sicut dona Veneris,
aurea poma autumnalis temporis.

Navis alba

Navis alba in alto mari
portum quaerit.
Sol omnia amore ducit,
amore materno, flatu paterno
in portum pacis ducit.

Autumnus

Video ex arboribus folia decidentia
crocea, lutea, flaventia —
mox folia mortua.
Sedeo prope ad arborem
matrem viduam, miseram—
spectantem decidentia folia,
flava, crocea, mortua folia.

*Zagreb.**Ton Smerdel.*
